

115, penetrabilis, ejus in solvendo & coagulando, vires expertus sum planè mirabiles, quas non tantum in rebus extra microcosmū, verum etiam in ipso microcosmo potenter exerit. Magnaque cum admiratione, & ipsius microcosmi commo- do singulari. Receptus enim nitra corpus humanum, statim vim suam spiritualem, ex centro, ad ipsam usque περιφέρειαν explicat, quas- cunq; tartari microcosmici in visceribus præser- tim, coagulationes efficaciter resolvit, separat re- solutas, & mumiam vitæ, quibuscunque tincturis venenatis, malignis, pestilentialibus, putredinosis infectam insigniter rectificat.

Hunc liquorem (cui nomen ego dedi, ☿ phi- losophici) commodissimum judicavi, qui inchoa- tæ calcinationis negotium perficeret atque absol- veret. Itaque calcem auri supra paratam, in hoc li- quore solvi, solutam coagulavi, idque multoties repetii, donec tandem sol ille terrestris, duodecim signis Zodiaci (i. e. bidui spatio) sui binies evolutis, devenisset, in calcem subtilissimam, rarissimam, spongiosam & impalpabilem aptam jam solutio- ni, quam & ipsam breviter exhibebo.

S O L U T I O M A G I - S T R A L I S.

Posteaquam ex laboriosissimo calcinationis o- pere sumus eluctati, faciliora deinceps, in solutio- ne magistrali omnia sunt futura. Est autem hæc nihil aliud, quàm actus ille, quando liquor sol- vens magistralis, in calcem auri ritè prædisposi- tam agit, eamque sibi penitissimè & secundum minima naturalia, concorporatam combibit:

Hoc